apostata vir inutilis graditur ore perverso.
Annuit oculis, terit pede, digito loquitur.
Pravo corde machinatur malum: et in omni
tempore iurgia seminat. Huic extemplo ve-
niet perditio sua: et subito conteretur, nec ha-
bebit ultra medicinam. Sex sunt que odit
dominus, et septimum detestatur anima eius.
Oculos sublimes, linguam mendacem, manus
effundentes innoxium sanguinem, cor ma-
chinans cogitationes pessimas, pedes velo-
ces ad currendum in malum, proferentem men-
dacia, testem fallacem, et eum qui seminat
inter fratres discordias. Conserva fili mi pre-
cepta patris tui, et ne dimittas legem matris
tue. Liga eam in corde tuo iugiter: et circum-
da gutturi tuo. Cum ambulaveris gradiantur
tecum. cum dormieris custodiant te: et evi-
gilans loquere cum eis. quia mandatum
lucerna est, et lex lux: et via vite increpa-
tio discipline. ut custodiant te a muliere
mala, et a blanda lingua extranee. Non
concupiscat pulchritudinem eius cor tuum:
ne capiaris nutibus illius. Pretium enim
scorti: vix unius est panis. Mulier autem viri
preciosam animam capit. Numquid abscon-
dere potest homo ignem in sinu suo. ut ve-
stimenta illius non ardeant: aut ambulare
super prunas. ut non comburantur plante
eius: Sic qui ingreditur ad mulierem proxi-
mi sui: non erit mundus cum tetigerit eam.
Non grandis est culpa. cum quis furatus
fuerit. furatur enim. ut esurientem impleat
animam. Deprehensus quoque reddet septu-
plum: et omnem substantiam domus sue
tradet. Qui autem adulter est: propter cordis
inopiam. perdet animam suam. Turpitudi-
nem et ignominiam congregat sibi. et oppro-
brium illius non delebitur: quia zelus et
furor viri non parcet in die vindicte. nec
acquiescet cuiusquam precibus. nec suscipiet
pro redemptione dona plurima. Fili mi cu-
stodi sermones meos, et precepta mea recon-
de tibi. Fili honora dominum, et valebis. Preter
eum vero: ne timueris alium. Serva man-
data mea et vives: et legem meam quasi
pupillam oculi tui. Liga eam in digitis tuis:
scribe eam in tabulis cordis tui. Dic sapi-
entie soror mea es: et prudentiam voca
amicam tuam. Ut custodiat te a muliere
extranea. et ab aliena que verba sua dul-
cia facit. De fenestra enim domus mee per
cancellos prospexi. et video parvulos. consi-
dero vecordem iuvenem qui transit per pla-
teas iuxta angulum, et prope viam domus
illius graditur: in obscuro advesperascente
die in noctis tenebris et caligine. et ecce mu-
lier occurrit illi ornatu meretricio. preparata
ad capiendas animas: garrula et vaga. qui-
etis impatiens. nec valens in domo consistere
pedibus suis: nunc foris. nunc in plateis.
nunc iuxta angulos insidians. Apprehen-
sumque deosculatur iuvenem, et procaci vul-
tu blanditur dicens. Victimas pro salute
debui. hodie reddidi vota mea. Iccirco egres-
sa sum in occursum tuum. desiderans te
videre, et repperi. Intexui funibus lectum
meum. stravi tapetibus pictis ex egypto:
aspersi cubile meum myrra, aloe, et cinamo-
mo. Veni inebriemur uberibus, et fruamur
cupitis amplexibus: donec illucescat dies.
Non est enim vir in domo sua. abiit via
longissima: sacculum pecunie secum tulit.
in die plene lune reversurus est domum suam.
Irretivit eum multis sermonibus, et blan-
diciis labiorum protraxit illum. Statim eam
sequitur quasi bos ad victimam ductus.
et quasi agnus lasciviens et ignorans. et nes-
cit quod ad vincula stultus trahatur: donec
transfigat sagitta iecur eius: velut si avis
festinet ad laqueum. et nescit quia de periculo